

rum Concilii Tridentini Sessione VI. Cap. 8. interpretationem
putant, sic se habentem: Cum Paulus dicit, justificari homi-
nem per fidem & gratis, ea verba in eo sensu sunt intelligenda,
quem perpetuus Ecclesiae Catholice consensus tenuit & expressit,
ut scil. per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est hu-
mana salutis initium, fundamentum & radix omnis justifi-
cationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus
consortium pervenire; Gratis autem justificari ideo dicamur,
quia nabit eorum, que justificationem precedunt sive fides, si-
ve opera ipsam justificationis gratiam promeretur, &c. Hinc
alii Adversariorum triplicem excogitarunt causam, cur Pau-
lus dicat, hominem absque operibus fide tantum justificari.
(1.) quia fides salutis humanæ initium sit. (2.) quia fides fun-
damentum sit omnis nostræ justificationis, utpote quæ tota-
ei innatur, & ab ea continuo sustentetur, teste Paulo Ebr. X.
& XI. (3.) quia fides impetrat justificationem, quemadmo-
dum dictum sit fœminæ peccatrici, fides tua salvam te fecit
Luc. VII. Quod & Augustinus probet Libro de Spiritu & Lit. c.
29. & 30. dicens: fides impetrat, quod lex imperat.

§. V. Plures occasione Sessionis VI. Cap. 10. Concil. Trid.
effugium quæsiverunt in voce justificatio, quam distinxerent
in primam & secundam. Primam vocant, qua ex non justo
fit justus: Quemadmodum ex aqua frigida fit calida. Se-
cundam, qua ex homine justo fit justior, sicut ex aqua calida
fit calidior. Quam distinctionem approbat atque applicat
Cardin. Bellarminus de justif. l. 2 c. 6. l. 4. c. 18. dicens: Nos
igitur dicimus Paulum loqui de prima justificatione, qua homo
ex impius fit justus, Iacobum de secunda, qua justus efficitur ju-
stior. Sicque ex Paulo dissentiente antea, Paulum nunc
consentientem factum sperant, cum ad vere contradicen-
tem requiratur, ut terminis eodem utatur respectu, quo is
cui contradicere admittitur: Jam vero Jacobus de secunda,